

## Ufus.

Discant ministri Ecclesiae ex hoc capite fideli & justo fervore Zeli docendi munere fungi, siqve ob id persecutionem subire cogantur, consolentur se exemplo *Jeremiae*.

## Explicatio 1. partis.

Quæ de obsidione Urbis narrantur, omnia spectant ejus solutionem, circa quam consideranda veniunt (1) τὰ ἠγχόμενα (2) *ὑποκείμενα*, solutio ipsa obsidionis. (3) τὰ ἐπιόμενα. Τῶν ἠγχόμενων tria ex textu excerpri possunt. (1) Est regni à posteritate *Ioachim* ad *Zedekiam* translatio. Tales verò translationes imperiorum non fiunt casu quodam fortuito, sed propter horum peccata ab ipso DEO. *Dan. 7. Sap. 6. vs. 1.* (2) Amissio *αὐτοκρατορίας* regno ademptæ per *Nebucadnezarem*; id quod vel inde patet, quod is abdicato *Iechonia* filio *Ioachim* in ejus locum surrogasse dicitur *Zedekiam*. (3) Regis & universi populi impœnitentia & contemptus Prophetarum concionum. Porro solutio ipsa obsidionis describitur à causa *ὑποκατασκευῆς*, cujusmodi nuncium de adventu copiarum auxiliarium Regis *Aegyptii*. Ubi obiter observandum, quod omnes *Aegyptiorum* Reges dici soliti *Pharaones* à Libertate vel *αὐτοκρατορία*, quâ maximè exercebant.

*Ἐπιόμενα* ad duo maximè capita revocari possunt: Unum est ablegatio duorum virorum excellentium, quorum alter *Politicus*, alter *Sacerdos* vel *Theologus*, ad *Jeremiam*, ut Regis nomine intercessionem ejus pro Urbe & populo, ne redirent *Babylonii*, impetrarent, & rùm *Jeremias* extra custodiam carceris liberè ambulasse dicitur. DEUS enim calamitates suorum vicissitudine quadam temperare consuevit, adeoq; neminem tentare sinit ultra vires *1. Cor. 10.* Alterum est responso Prophetæ, in quo Regi ac populo tria renuncianda, prænnunciati (1) est, quod copiarum auxiliares Regis *Aegyptii* in *Aegyptum* mox reversuræ. Adeò scilicet vana est spes & fiducia, quæ hominis in præsidiis collocatur. (2) Quod *Babylonii* eâ recognitâ redituri ad obsidionem Urbis, multò majori potentia continuandam & urgendam, quàm factum antè. (3) Quod successum in bello felicem contra *Judæos* sint habituri, *Hierosolymam* occupaturi & incensuri.

Explis.